

HENRICO GUILIELMO TYDEMANNO,

VIRO CELEBERR., PATRI CARISS.,

FILIUS S.



*Dum in deserta per aestatem Leida dissertationibus meis conscribendis et typographi prelo mandandis incumbo, Tu, dilectissime Pater, in felicissimo Gelriae situ otiaris; sed, ut adsoles, in ipso otio multifariis tamen ac quotidianis occupationibus obrutus. Immo vero, hisce negotiis augendis ipse studui, mittendo tibi specimina typographa hujus mei opusculi revidenda et corrigenda: quod, ut ipsae ad me redeuntes pagellae testabantur, saepe in hoc vel illo delicioso vicu, sub ulmorum vel quercuum umbra, aut ad superbi Rheni ripam, inve modesta tua habitatione, mei causa perfecisti; a gratis deambulationibus dulcique confabulatione ob triste illud opus atque officium abstinens. Nec possum non summopere tuam hac in re praedicare diligentiam, quae non raro me de horrida et inculta scri-*

*bendi ratione monuit, eamque correxit; nam, cujus rei numquam obliviscar, ipsam materiam, simul atque aliquam partem absolveram, non paucis pomeridianis horis tibi recitavi: tu tuas animadversiones, quas quanti fecerim, jam tibi probatum fore spero, mecum communicasti: qua occasione saepius obtinuisse memini, ut quod tu me hujus illiusve JCTi fragmentum huc vel illuc pertinere monebas, statim in dispositis a me locis sequeretur; quod quonam gaudio me afficiebat, tunc non occultavi. Etenim erat hic mihi jam jucundus studiorum fructus, qui post anni et quod excedit in hac materia elaboranda pervicaciam, non plane me fallere debuit.*

*Notum tibi est, mi Pater! quod primum Oeconomus ipse notiones, tuis doctissimis scholis excitatas, elaborare atque confirmare mihi debuerim, antequam easdem illas opiniones in Corpore Juris investigandi laborem suscipere potuerim: notum tibi est, quamdiu me occupatum tenuerit Digestorum, Institutionum, Codicis, Novellarum, diligens perquisitio: et dein, cum indigesta illa moles diribenda atque separanda, tum vero recolligenda atque copulanda, tandem disponenda, explicanda interdum et judicanda fuit; - non mirum sane me, insuper animi dolore propter domestica fata affectum, et aegro corpore laborantem, diutius huic dissertationi conscribendae inhaesisse; atque adeo temporis spatium ad litterarium opus absolvendum non nisi permodicum mihi superfuisse.*

*Curriculum Academicum, septem fere annorum, jam peregi; liceat mihi in spatium percursum tecum respicere. Copiis literariis aliquantum instructus, cura imprimis generi tui jam defuncti, JAC. TERPSTRA, cujus amantissimi memoria sancta mihi semper erit, ejusque patris, tui nostrique amicissimi, GUIL. TERPSTRA, sub tuis oculis et littera-*

*rum et Juris studio incubui. Collegis tuis tuum me nomen et auctoritas commendavit; eorum in me benevolentiam ut numquam non expertus sum, sic et hanc, et praeclaram eorum doctrinam atque merita quotidie commemoravi: nunc publice iis omnibus gratum meum animum probo: imprimis Clarissimis ASSENIO, COCKIO et THORBECKIO, quos tecum in juridicis politicisque doctrinis auctores mihi habere contigit. Ex quibus cum et quondam discipuli tui familiaritas et meorum studiorum ratio Clar. ASSENIO me penitus adjunxerit, hujus singularia in me tam gratiae atque benignitatis testimonia, quam exultae humanitatis atque scientiae merita, tum ante hos tres annos publicis disputationibus auspicatus professus sum, et nunc laudibus extollo. Faveat iis Deus O. M., tibi que servet incolumes collegas atque amicos, Civitati et Academiae lumina. Tua autem hic divulgare paterna, quibus superbio, in me beneficia, elegantissimam, qua frui licuit, institutionem, - vel etiam insignes commemorare in Juris scientia, in Politicis artibus, in tota Civitate laudes, quas suo pretio ne aestimare quidem possim; - non aggrediar: scio enim fore, ut stilo verso statim haec a te deleantur.*

*Atque haec publica sunt; privata, si tibi molestum non est, nonnulla referam. Huc primo loco pertinet fratris tui consanguinei, patris mei dilectissimi, Cons. TYDEMANNI summa quam in me erudiendo atque excolendo cura, posuit; cujus, in me merita cum, ut neque ceterorum praeceptorum, numquam nec satis sufficienterque efferre, nec remunerari aliquando possim, nisi grati animi ingenua professione, - sic ejus laudes hic praedicare non dubito. Multi alii quoque sunt, quibuscum me studiorum similitudo aut animi consensus imprimis conjunxerat; quo, praeter ceteros quibuscum una huic vel illi literarum ju-*

*risve parti excolendae dedi operam, collegiorum tum literarii Utile et Jucundum, tum vero Juridici Cures quod audis socii pertinent. Horum gratam et fructuosam necessitudinem dum hîc recordor, simul ut iis, ut reliquis quoque commilitonibus, valedicam, necesse est.*

*Jam paternam domum, et quae paternae instar mihi erat, dilectissimi BODELLI, linquendi tempus adest, ut Amstelaedami me causarum patronum profitear, et, duce Cons. LIPMANNO, discipulo quondam tuo, amico nunc integerrimo, fautore meo, Juris praxin et populares voluntates experiar.*

*Multa mihi mentem obruunt, dum laeta illa et jucunda, sed tristia quoque subinde et luctuosa recordor, quae tam mihi in domestica necessitudine et familiaritate versanti quam vobis omnibus acciderunt. Nunc jam, neque tua consilia, neque tui meorumque adspectus, et amoris testimonia quotidie mihi praesentia erunt; sed novum spatium ingredior, alios inter mihiq̃ue pro majori parte ignotos homines versabor, studiorum fructus quaesitans atque laborum; quod ut mihi bene vertat, faxit Deus Omnipotens.*

*Tu jam, vale, mi optime Pater! et nobis atque Academiae, ut es, diu sis praesidio. Valetе ros omnes, necessarii atque amici, iterum valetе!*

Leidae, ipsa die natali tuâ 25 Aug. 1838.